

Π i  
755

DE  
THVRIBVLO  
AVREO

AD ILLVSTRANDVM LOCVM

*Hebr. IX. 4*

EXPONIT

ET

ORATIONES

SVB

ANNI AVSPICIVM

HABENDAS

OBSERVANTISSIME INDICIT

HENRICVS AVGVSTVS ZEIBICH

ILL. RVTHEN. PROFESS. PVBL



XXIV. 9.





5555

THE UNIVERSITY OF

ANNALS

OF THE

ROYAL

ACADEMY

OF

SCIENCE

AND


ARTS

OF

BERLIN

1850

1850



1850







um bene sapienterque sit a maioribus institutum, ut rerum agendarum primordia ab Immortali Numine ducantur, nostris haud uidemur officii defuturi, si, sub auspiciis anni praesentis, pro salute totius patriae uota faciamus sanctissima, itaque thura, quae in coelum ascendant, omnemque nobis prosperitatem demittant, puro animo incendamus. Insistimus certe sic uestigiis Iudaeorum, diuinitus instructorum, qui, licet quotidie acerra uiliori, tamen, piaculari illo solenni, aureo utebantur thuribulo, cui suffimenta sacra, ad conciliandum uniuerso populo Deum, imponere solebant. Iniecit huius mentionem Paulus, ad Hebraeos scribens (a), sed tantas in mentibus eruditissimorum hominum dubitationes reliquit, ut, quo tandem modo his se explicarent difficultatibus, uehementer animo fluctuarent. Recensebimus initio has tam diuersas opiniones, tum, quid Viro cuidam iamdudum Celebratissimo in mentem hac de re uenerit, exponemus, denique sententiam nostram, ea, qua decet, modestia adiungemus

Sunt nimirum, qui putent, *Θυμιατήριον* haud esse thuribulum, seu acerram thuri prunisque seruandis destinata, sed altare suffitus, in sancto, exaduersum uelum interius, collocatum, idque ideo ad penetralia sanctissima referri, quod ante conspectum Dei aequae fuerit, ac mensa panibus, ut dicuntur, facierum onusta. Persuaserunt hoc sibi Ludou. de Tena (b) et Reitzius (c). Alii ad eandem quidem aram confugiunt, sed ipsam in adytis sanctissimis, quibus thronus gratiae condebatur, reponunt (d). Alii nihil de hoc altari, uel Mosi, uel Iosephi, uel magistrorum Iudaeorum, scriptis legi consignatum recordati, repudiata hac explicatione, ad communem transferunt sententiam, et, ut uocis usuque, apud optimos auctores peruulgato, permoti, uasculum, quo uel thura, uel prunae, comburendis suffimentis idoneae, seruabantur, interpretati sunt, a quorum partibus uiri stant, munerum dignitate, ac rerum diuinarum humanarumque scientia,

A 2

floren-

(a) *Hebr.* IX. 4.

(b) *de Tena* diis. IV. ad *Hebr.* h. l.

(c) *Reitzius* ad Gooduini *Mof.* II. 1. 5

(d) *conf. Kiesling* Erlaeuterung der Ep. an die Hebr. aus dem Molatich. Alterthum. p. 424



florētissimi, Carpzouius et Lubecensis (e), et Helmstadiensis (f), Baumgarten (g), Kieslingius (h), Bruckerus (i), alii permulti. Sed quisnam locus hoc tenuit thuribulum, sanctusne, an interior, maiestatisque diuinæ plenissimus, recessus? Huic quidem iam olim Origenes, Augustinus. et Oecumenius (k), recentiori memoria Sigonius (l), Gooduinus (m), Ottius (n), et Peirce (o), exteriori autem conclauī, quo sacerdotes quotidie sacra faciebant, Buxtorfius (p), Deylingius (q), reliqui, quorum uix numerus iniri possit, tribuerunt, ideo a Paulo ad uasa aedis sanctissimæ referri statuentes, quod die piaculari usui huius inferuierit, nec facile alio tempore fuerit adhibitum, nisi hoc, ad homines Deo placandos omnium religiosissimo. Discedit ab his Carpzouius, epistolæ ad Hebræos explanatorum prope princeps, et, in singulari uasorum camera quadam, custoditum hoc thuribulum arbitratur. Nihil definit in tanta rei obscuritate Kieslingius, nihil Braunius (r), nihil Carpzouius Lubecensis. Semlerus autem, Vir tantum laudandus, quantum merita eius amplissima requirunt, cuius audissime expectabam iudicium, plane tacet (s), ac ne horum quidem uersuum Hebr. IX. 3. seq. ullam inicit mentionem in epistola germanice conuersa, sed uberius simul amplificata. Itaque, cum nuper de hoc thuribulo accuratius diligentiusque cogitarem, nec, qua ratione ex his me emergerem incommodis, reperirem, tandem, singulari incensus cupiditate, Celeberr. Michaelis, explicatorem huius epistolæ eruditissimum, adibam eo consilio, ut hic, tam admirabili antiquitatum Hebraicarum notitia imbutus, ut paucos habeat pares, in tantis tenebris lumen facemque praeferret. Inueni etiam, quæ cogitatione præceperam, iamque ea, filum orationis Viri præstantissimi

(e) Carpzou. Appar. Antiquit.  
Hebraic. p. 259

(f) Carpzou. ad Hebr. p. 393

(g) Baumgarten Erklar. d. Ep.  
an die Hebr. p. 236

(h) Kiesling l. c. p. 424

(i) Brucker ad Hebr. in Op. Angl.  
Biblic. h. l.

(k) Carpzou. Appar. p. 259

(l) Sigonius de rep. Hebræor. p. 240

(m) Gooduin. Mos. et Aar. II. r. 5

(n) Ottius Bibliothec. Brem. Cl.  
II. p. 546

(o) Peirce ad Hebr. p. 360. in oper.  
Bibl. Angl.

(p) Buxtorf. de Arc. Foed. p. 76

(q) Deyling Obs. S. Part. II. p. 558

(r) Braunius ad Hebr. p. 492

(s) Semler ad Hebr. p. 131



V  
fimi secutus, indicabo, confusus, fore, ut iam dissentienti mihi ueniam impertiat  
Interpres doctissimus, quam omnibus libentissime se concedere literis huma-  
nissimis declarauit

Querelas initio iustissimas de obscuritate horum uersuum effundit (t), eos-  
que sibi probari negat, qui *Θυσιατήριον* uertant thuribulum. Quodsi transfera-  
tur ita, in supellectile conclauis sanctissimi numerari posse, infitiat, propterea,  
quod per unius modo diei, imo horarum saltem paucarum, spatium, in eodem fue-  
rit relictum. Sin perpetuam ibi sedem habuisse credant nonnulli, nihil hos am-  
plius, nisi rationes sententiae suae ac pondera, debere, ob eamque rem, cum utraque  
haec opinio imbecilla sit, eam iure meritoque reprobare. Ac prius quidem te-  
lum, quod mittit Vir Illustris, graue omnino ac uiolentum iudico, posterius,  
dubito, an pari uehementia torqueatur. Quid, si uerba ipsa, si orationis con-  
textus, si alia haud contemnenda argumenta, summa nos necessitate constringant,  
ut thuribulum in uasis, tabernaculi sanctissimi propriis, censeamus, etiam si nihil  
Moses distincte luculenterque literis consignarit. Nonne hic idem, quod de ara  
suffitus, ualeat illud Interpretis excellentis (u): *Obgleich Moses ihn nirgends be-  
schreibt, die Sache ist an und vor sich wahrscheinlich, ja fast nothwendig*. Ceterum  
haud dixerim, memoriae uitio aberrasse Paulum a uero, cum nemo nesciat, le-  
gatum hunc, diuinis tum uiribus instructum, et afflatum a Spiritu S. qui omnia  
uel abditissima, et a cognitione hominum longe remotissima, communicabat  
cum ipso, falli nullo modo potuisse. Sed quid cum hoc *Θυσιατήριον* agendum?  
Cum hoc thuribulum manu retinere non potuerit sacerdos, ex mente Critici  
acutissimi, neque tamen in terra licuerit eidem collocare, omnino fulcro cuidam  
imponendum fuit, quod, Iudaeorum more, haud absurde altare poterit uocari.  
Singula uideamus. Do hoc libenterque largior, manu hanc acerram tenere nullo  
modo sacerdotem ualuisse. Cum enim introiret saepius et exiret, sanguinemque  
tum iuueni, tum hirci, mactati inferret, qui tandem fieri potuisset, ut acerram illam  
manibus non deponeret, sed perpetuo gestaret? Quamprimum igitur egrediebatur

A 3

recessu

(t) *Michaelis* Erklarung des Briefes  
an die Hebraeer p. 234

(u) *Michaelis* p. 234



recessu interiori, relinquebat thuribulum, ut suffitu suo omnem aedem imple-  
ret. Sed cur, quaeso, ponere non licuit in terra? Num haec uiolauit acerrae sanctita-  
tem? Num igitur et arca foederis dedecus quoddam accepit, quod humo nite-  
retur? Num altaribus reliquis turpitudini haud fuit, fuit autem soli thuribulo,  
in terra consistere? Sed, his omissis, uehementer equidem dubitauerim, in ipsa  
terra hoc collocatum thuribulum fuisse. Fidem hic potius magistris Iudaeorum  
tribuerim (x), qui in uestibus, arcae proximis, reposuisse pontificem uas,  
incendendis aptum odoribus, perspicue testantur. Neque uero id mirum.  
Ita enim, intrante sacerdote, extemplo ac derepente hic ipse thronus gratiae,  
quo Deus confidebat, oriente ex acerra fumo tegebatur, atque, ut sanguis et  
iuuenci et hirci, Seruatoris sanguinem repraesentans, uersus hunc ipsum thro-  
num spargebatur, sic hic suffitus, preces Christi adumbrans, in uestibus illis, qui-  
bus commode locum habuit, ad eandem misericordiae sedem, uelut ad coelum,  
ascendebat. Denique, ut liberalis sim, concedam, fulero cuidam, aut basi, fuisse  
impositum hoc thuribulum, quis tale fulcimen (Gestell) altaris nomine appellabit?  
Igitur omne, cui aliquid sacri innititur, ara erit? Etiam mensa, qua panes pro-  
ponebantur sanctiores? Equidem, si altare suffitus, nam tale designat Vir Illustris,  
quale in sancto deprehendebatur, ante animum mihi propono, quadratum memi-  
ni extitisse, quatuor habuisse cornua, et limbum praeterea haud paruam (y), quae  
omnia in uocem *θυμιατήριον* nulla conueniunt ratione. Optassem autem ma-  
ximopere, docuisset Vir, literaturae Graecae peritissimus, cum ex Graecis scripto-  
ribus probatis, tum ex septuaginta Interpretibus, fuisse olim uoci, *θυμιατήριον*,  
hanc uim, ut idem, quod *θυσιαστήριον*, altare uerum, designaret. Noni certe  
Instrumenti tabulis nunquam id poterit defendi, aut ullo modo illustrari. Lucas  
non *θυμιατήριον*, sed *θυσιαστήριον τῶ θυμιάματος* uocat (z). Ioannes *θυσι-  
αστήριον* et *λιβανωτὸν χρυσοῦν*, h. e. *θυμιατήριον* discernit (a). Isti autem, in-  
terpretes Graeci, uel *θυσιαστήριον*, uel *θυσιαστήριον θυμιάματος*, nunquam  
*θυμιατήριον*, aram suffitus, uocant

Aliam

(x) *Cod. Ioma* cap. V. 1

(y) *Exod.* XXX. 1. seq. *Carpzon.*

Appar. p. 272

(z) *Luc.* I. 11

(a) *Apocal.* VIII. 3. 5



Aliam tamen adiungit rationem Gottingense decus, ac similitudinem, quae inter tabernaculum foederis, templumque Salomoneum, intercesserit, in subsidium uocat, cumque in hoc plura penetralibus sanctissimis altaria uindicerentur, unum certe, nempe suffimentis destinatum, in iisdem extitisse opinatur. At, pace Viri Illustris, non eadem utriusque aedis fuit ratio, sed quamplurimis in rebus longissime diuersa. Quibus ut fidem faciam, illud tantum moneo, in templo Salomonis decem mensas, decem lychnuchos, decem labra aerea, fuisse, licet in tabernaculo, a Mose extracto, una modo mensa, unus lychnuchus, unum labrum aeneum, extaret (b). Praeterea oraculum diuinum, quo nititur Idem (c), quantum equidem perspicio, haud plurius altarium meminit, sed unius modo, quod ante iam attigerat scriptor diuinus. Etenim uerba **כל המזבח אשר לדביו** totam illam aram, quae prope adyta, ut recte explicat Deylingius (d), seu, ut ante dicitur ul. 20. **לסני הרביר** in conspectu recessus, non recessu ipso, stetit, auro prorsus obductam fuisse, docent satis. Pari modo **כל הבית** non omnia aedificia, sed tantum sanctissimum eodem capite designat. His ita praesultis atque praemunitis, multa in hac sententia Pauli ancipitem sibi *assere cogitandi* curam declarat Cel. Michaelis. Miratur nempe, quid sit, quod, cum de suppellectile sanctissimae aedis sermo habeatur, *ιλασῆριον* tamen, memoratu dignissimum, hoc loco taceatur, tumque modo, cum Cherubim nominentur, uelut obiter, tangatur, deinde, quod ara suffitus recensetur in iisdem uasis, cuius ne minimum quidem uestigium in scriptis appareat Mosaicis, denique, quod *θυμιατήριον* hoc primum obtineat locum, quem *ιλασῆριον* multo maiori iure sibi uindicaret, postremo, quod ara suffitus in uasis sancti domicilii prorsus praetermittatur, in quibus tamen a Mose distincte numeretur. Videamus, quam tandem ratione his dubitationibus occurrere possimus.

Initio quidem haud reor, in commemoranda suppellectile, quae in recessu illo interiori lateret, *ιλασῆριον* plane Paulum siluisse, et tantum, uelut praetereundo, cum Cherubim appellaret, attigisse. Perpendamus uerba, a scriptore nostro instinctu diuino consignata. *Μετὰ δὲ τὸ δεύτερον καταπέτασμα σικνή, ἡ λε-*

(b) II. Chron. IV. 6. seq. uid. Carp-  
zon. Appar. p. 284

(c) I. Reg. VI. 22

(d) Deyling. Obs. S. P. II. p. 559



γομένη ἀγία ἀγίων, χρυσῶν ἔχουσα θυριατήριον, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης περιεκαλυμμένη πάντοθεν χρυσῶ - ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χειρῶν δόξης, κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον. Nominat arcam foederis, pluribus, quae complectebatur, gratiae uirtutisque diuinae documentis insignem, eamque dum nominat, nullam sane partem excludit, ob eamque rem uel ipsum operculum, seu ἱλαστήριον, simul ea uoce comprehendit. Hanc enim esse potestatem huius uerbi, alii satis comprobarunt, ut corroboranda hac sententia superfedere possimus. Quodsi sciendi flagras cupiditate, cur haud distinctam luculentamque ipsius uerbi iniecerit mentionem, illud potissimum, recorderis, a legato tradi, quod res illustres, urceum nempe aureum, uirgam Aaronis, tabulasque foederis, continebat. Quae cum cistae inessent, non tegumento, sane non hoc, quod operiebat modo, nec complectebatur haec mirabilia, sed arcam ipsam, reuocare in memoriam opus habebat. Recenset uero idem expressis uerbis, nec tamen, ut senex Venerandus opinatur, praetereundo quasi, sed causam principem adiungit, cum ipsi genii coelestes effici simul fuerint in hoc loco, mysteriorum plenissimo. Ὑπεράνω δὲ αὐτῆς χειρῶν δόξης κατασκιάζοντα τὸ ἱλαστήριον. Equidem nunquam crediderim, Paulum commemoraturum Cherubim fuisse, nisi de hoc ipso throno gratiae Hebraeos admonere uoluisset. Hos igitur genios, non operculum arcae sanctissimae, oblata occasione appellauit. Denique, uniuersum contextum consideranti mihi lumine illo, quod Rhetores κλίμακα dicunt, orationem suam scriptor diuinus exornasse uidetur. Dum enim initio de sancto, postea de sanctissimo, exponit, dum in sancto primum leuius, candelabrum, postea nobilius, mentiam, panes propositos sustinentem, tangit, eodem sane modo, in supellectile sanctissimae aedis enarranda, uersatur, et principio uilius quodammodo, θυριατήριον, tum praestantius, arcam foederis, in eaque rursus praecipuum, tabulas nempe Legis, postremo loco, tandem omnium excellentissimum, ἱλαστήριον, lectorum offert mentibus et infigit. Idoneo igitur et opportuno loco haec mysterijs refertissima cista spectatur, nullo modo ab hac sede sua dimouenda. Caeterum, has uoces, ἱλαστήριον et θυριατήριον, quod terminentur fere eodem exitu, confundere librarium imperitum potuisse, haud equidem negauerim, sed, an reapse miscuerit, repugnantibus codicibus omnibus, deinceps ponderabo

Perspicere



Perficere uero praeterea se posse negat Philologus Eruditissimus, quid tandem sit, quod ara suffitus, in adytis collocata, a Paulo recenseatur, cuius, Mo-  
saicis in scriptis, ne ullum quidem inueniatur uestigium, altera autem, coniungamus  
enim utrumque hunc scrupulum, altera, inquam, ara, suffitibus faciendis destinata,  
et in sancto posita, ab eodem Paulo praeternittatur plane. At *Θυμιατήριον*  
minus commode altare dici, supra iam fecimus testatum, nec opus est, ut ea  
de re pluribus exponamus. Videor tamen mihi causam reperire, qua ductus  
profanarum praeceptor gentium thuribulum attingat, de quo nihil lego in  
scriptis, a Mose exaratis. Proponit, ut constat, integra hac epistola Seruatorem  
summum pontificem, omnes reliquos, ipsumque Mosen, longo post se interuallo  
relinquentem. Iam, cum hunc generis humani uadem patri suo, maxi-  
me piaculari illo die, supplicantem (*e*) nobis sistat, quis tandem miretur, thu-  
ribulum ostendi, necessarium ad faciendos suffitus sacros, qui sacerdotis  
nostri deprecationes designarent. At, haec si Viro doctissimo sententia minus  
probetur, unum adiiciam, ab Eodem approbatum (*f*), multa nimirum a Paulo  
his in literis describi, quae ex priscis coetus Iudaici moribus institutisque debeant  
illustrari, nihiloque tamen secius in codice harum legum ceremoniarumque  
prorsus fileantur. Sed ea de re alii plura. Qua uero ratione permotus altaris  
suffitus, in sancto positi, nusquam meminerit Paulus, hanc mihi uideor posse  
reddere fatis planam. Cum ea sola, quorum exemplar in monte uiderat  
Moses, enarret (*g*), ad haec autem suffitus ara referri non possit, quod in ipsis  
scriptis Moisaicis, longo demum spatio post, forma eius recenseatur (*h*), non  
aegre fero, eandem aram ab Apostolo praeternitti (*i*). Postremo, cur pri-  
mum huic *Θυμιατήριον* locum assignet, nec *ιλασηριον*, mirum habet Cel-  
Michaelis. Ego uero fateor, nunquam mihi hanc seriem uerborum admiratio-  
nem commouisse, qui cogitauerim, ut ante iam moui, a lenioribus ad grauio-  
ra transire scriptorem, diuinitus agitatam, ob eamque rem, cum nihil, haec  
uerba si spectes, praeter thuribulum et arcam foederis extaret in adytis, quo  
magis

(*e*) Hebr. V. 7

(*f*) p. 254. seq. 261

(*g*) Hebr. VIII. 5

(*h*) Exod. XXV. 19. XXVI. 31

(*i*) u. *Alting ad. Hebr.* p. 248



magis animos lectorum in se conuertat, et quasi aculeos relinquat in his, augustissimam supellectilem omnium postremo collocare

Interim tamen Vir Illustris, suis nimirum nixus argumentis, aliter longe, ac nos iam legimus, tradidisse Paulum censet, itaque uersus illos emendat. *Σικηνή γὰρ κατεσκευάσθη - - - τῶν ἄρτων, ΚΑΙ ΤΟ ΘΤΜΙΑΤΗΡΙΟΝ, ἥτις λέγεται ἁγία, - - - χρυσὸν ἔχουσα ΙΛΑΣΤΗΡΙΟΝ καὶ τ. κ. τ. δ.* Dabit autem mihi hanc ueniam, si secari sic nodum hunc Gordium, non solui, dixerim, multoque pluribus nos maioribusque difficultatibus implicari, nullo deinceps modo superandis. Initio quidem hic ordo uerborum, a Viro doctissimo propositus, tantum abest, ut uni modo, uni inquam, codici antiquiori respondeat, ut potius aduersetur uniuersis ac singulis quam maxime, illam nempe, quam nos tuemur, suppeditantibus lectionem. Quam uehementer autem gaudeo, Virum praestantissimum opinione hac sua et emendatione adeo parum confidere, ut ipse coniecturam modo appellet, imo disertis uerbis neget, scripturam N. T. quandam in omnibus corruptam codicibus deprauatamque reperiri (k). Adiungamus uero illud, ne unam quidem uersionem, uel Syriacam, uel Aethiopicam, uel Persicam, uel alias, uestigium quoddam huius correctionis ostendere, sed omnes priscam inueteratamque lectionem retinere. Quod igitur pretium emendationi huic statuendum sit, Vir Illustris cognoscit ipse, dubitat enim adhuc, et animi incertus, quantis cum incommodis sua conflictetur opinio, probe callet

Iam, his propositis, si quis, nostra quae tandem sententia sit, requirat, magna quidem obscuritate premi hunc locum non negamus, nihiloque tamen fecius fidem legati sanctioris in dubium uocare non audemus, praesertim cum tam clare distincteque uerba faciat, ut, haec si aliter interpretari uelimus, ac potestas eorum iubet, omnino a uero aberremus. Quis est enim, nulla praconcepta animo opinione imbutus, qui, si legat, *ἡ σικηνή, ἡ λεγομένη ἁγία αἰγίον, χρυσὸν ἔχουσα θυμιατήριον, καὶ τὴν κιβωτὸν τῆς διαθήκης*, non statim, naturalem explicandi ordinem secutus, intelligat, indicare Paulum adyta,

quae

(k) p. 237



quae thuribulum aureum et arcam foederis fuerint complexa, ita, ut in interiori hoc recessu extiterint, non exteriori conclau. Satis igitur est, haec scriptorem, diuinitus inflatum, pronuntiare, satis, haec etiam tam perspicue tamque luculenter testari, ut, aliam eiusdem uerbis si mentem affingas, uim inferre uidearis. Sed haec quo magis firmemus, apertiusque sensa nostra explicemus, hanc facimus summam cogitationum nostrarum. Triplici nimirum modo thuribulum aureum penetralibus uindicari posse, censemus. Aut enim diu noctuque perpetuo, aequae ac cista sanctissima, in hoc fuit sacrario, aut, si in sancto, uel conclau quodam, sedem habuit fixam, piaculari tantum sacro illatum fuit a Sacerdote summo, per diem illum memorabilem ibi relictum, et, peractis sacris omnibus, rursus exportatum, pristinoque suo loco, sancto nimirum, uel conclau, redditum, aut thuribulum quoddam aureum, hac luce, plenum suffimentis ingestum, totoque illo anno in his penetralibus asseruatum fuit, insequenti autem anno a pontifice elatum, et aliud, aequae aureum, loco ipsius ante thronum gratiae constitutum, ita, ut extiterit quidem semper in adytis thuribulum aureum, non numero, ut philosophi loquuntur, sed specie tamen, idem. Num quartus adhuc modus cogitatione possit fingi, equidem mihi uix persuadeo, ob eamque causam illud in primis anquirendum puto, qui tandem modus sanctioribus monumentis conuenire potissimum uideatur

Extitisse semper in sanctissimo domicilio idem thuribulum, uiri doctissimi recte, nisi fallor, negarunt, tum, quod nullam plane huius rei Moses mentionem facit, omnia ea, quae sedem ibi suam fixerant, ut Cherubim, cistam, uelum, accurate persecutus, tum, quod sacerdos summus nusquam legitur expiationis die thuribulum illud egressisse, quod tamen maxime fuerit necesse, si inde petierit, sed intulisse tantum ad suffitus faciendos (1). At num forte in sancto custoditum est, soloque a pontifice hoc die illatum pariter in penetralia atque elatum, ob eamque rem, cum usibus uacaret sanctissimis, in uasis etiam huius conclauis numeratum? Ita quidem, ut supra uidimus, communis plerumque fert opinio, iure tamen Ill. Michaelis refragante. Mihi uero, ut libere fatear,

B 2

nunquam

(1) *Leuit. XVI. 12*



nunquam potuit haec sententia probari. Cur enim tum Paulus ad conclaue prius non retulit, quo candelabrum et mensa, panibus onusta, spectabantur, si eodem modo in hoc seruaretur? Num propter unicum illum diem, quo sacerdos summus gestauit idem in sanctissimum, in hoc perhibebitur constitisse? Maxime tamen uox ἔχειν huic ita coniecturae repugnat, ut, illum ei uerbo si notionem tribuas, omnis sane contextus infringatur uis. Adyta enim ἔχειν τὸ θυμιατῆριον his uiris dicuntur, quod religiosissimis modo ceremoniis destinatum illud fuerit, non reapse claustris eorum comprehensum. Est. Igitur et arca foederis hoc solo die in hoc fuit recessu? Igitur et urceus hoc die uno habuit mannam reconditam, reliquis temporibus nunquam? Profecto, ita si uolueris lumen accendere literis sanctioribus, miserandam sane caliginem induces, ut uerum a falso discernere amplius non possis. Bene sapienterque Deylingius (m): *Vt arcam foederis non solum ratione usus, sed in primis ratione loci habuit adytum intimum, ita idem ratione loci θυμιατῆριον habuisse oportet.* Ego uero initio, cum sanctum a sanctissimo distinguatur, et in iis, quae in hoc domicilio summi Numinis semper fuerint Mosis memoria, thuribulum aureum et arca foederis memorentur, haud iniuria colligo, eodem modo, quo arca, etiam thuribulum quoddam in his penetralibus extitisse, h. e. perpetuo, quamdiu Aaron uigebat, successoresque eius munus obibant. Itaque cum candelabrum et mensa, propositis panibus extracta, semper in sancto, cista autem foederis, cui iungitur thuribulum, nunquam non in sanctissimo, uersarentur, quis inde haud recte conficiat, uel thuribulum semper in adytis, non uno tantum die, quotannis, reperiri debuisse. Tum uero uox ἔχειν, sine ulla dubitatione, non ualet, destinatum habere usui sacrosancto, sed continere uere, ambituque suo complecti perinde, ac locus hic, praesentia Dei nobilitatus intima, arcam foederis, et urceus aureus mannam, habebat. Ex his omnibus apparet, explicationi alteri acque minus, ac priori, sanctioribus cum literis convenire. Quae igitur restat nisi tertia, qua statuitur, tenuisse sacrarium interius semper thuribulum quoddam aureum, etsi idem numero haud semper fuerit, sed aliud hoc die solenni illatum, ibidemque relictum per anni interuallum, aliud, quod

(m) Deyling Obf. S. P. II. p. 569



quod ibi adhuc fuerat, exportatum a sacerdote, et loco quodam singulari custoditum. Sed hic iam restat extremus, in quo elaborandum est, actus

Principio quidem illud haud mediocriter nostram sententiam firmare puto, quod maxima fese uerisimilitudine commendet, et neque Veteris, neque Noui Instrumenti tabulis aduersetur. Haud Veteris. Nam cum idem numero thuribulum, ut arca, ut Cherubim, ut urceus mannae, ut uirga Aaronis, ut tabulae legum, non semper, ac sine omni uicissitudine, in sacratio interiori deprehenderetur, profecto non miramur, si Moses praeterierit silentio, ea tantum commemorans, quae, nulla permutatione facta, in sanctissimo seruabantur. Nec uero haec opinio Pauli refragatur testimonio, qui χρυσῶν θυμιατήριον in hoc recessu extitisse tam clare affirmat, ut nihil supra. Erat igitur, ut arca foederis, sic thuribulum quoddam aureum semper in his penetralibus, etsi non unum modo, idemque numero, id enim cur siluisset Moses, omnia uasa, quae perpetuo continerentur in sanctissimo, diligentissime recensens, sed aliud hoc anno, aliud insequenti. Relinquitur ergo, duas certe fuisse acerras aureas, inter se permutari quae solent. Atque haec quidem mihi uideo ex ipsis Pauli uerbis probare posse, quae meum certe animum omni dubitatione liberant, num aliorum, ignoro. Nimirum haud temere Apostolum, de hoc thuribulo differentem, omisisse puto articulum, reliquae suppellectili adiunctum. Legas quaeſo haec: ἡ πρώτη σκηνή, ἐν ἣ ἦτε λυχνία, καὶ ἡ τράπεζα, - - μετα τὸ δεύτερον καταπέτασμα ἡ λεγομένη σκηνή, - - ἔχουσα καὶ τὴν κιβωτὸν, ἐν ἣ ἦ ἡ σάμος, ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος, καὶ αἱ πλάκες. Cernis, semper articulum adici, quia unum modo erat candelabrum, una mensa, unum uelum secundum, una arca, unus urceus, eandem semper mannam continens, una uirga Aaronis, unum par tabularum legis. Nec uideo hunc desiderari articulum, praeterquam in uoce σάμος, nisi forte ob antecedentem uoculam, ἣ, sequens litera ἡ exciderit, librorum negligentia, sitque legendum, ἐν ἣ ἡ σάμος. Sed ecce, dum de thuribulo loquitur, omittit articulum, ἡ σκηνή, χρυσῶν ἔχουσα θυμιατήριον. Equidem, parum abest, quin censeam, indicium nobis hic Paulum dare uoluisse



expediendae difficultatis huius, ut uertendum sit, *wo ein gueltnes Rauchfass*, nec uero, *wo das g. R.* Quae de ui uocis, ἔχειν, superiori loco dixi (n) non repetam in praesentia, sed testimonia modo quaedam citabo, quibus, si hoc uerbum numis, uasis et conclaibus tribuitur, diuturnam sane commorationem indicari comprobetur. Sic *θησαυριον ἔχειν εἰκόνα* dicitur (o), imaginem impressam eidem firmiter, nec ad exigui modo temporis spatium, sed, quamdiu numus durat, simul ei inhaerentem. Vera pietate imbuti ἔχοντες *θησαυροὶ ἐν ὀφθαλμοῖς σκέυεσι* sistuntur (p). Per omnem quidem uitam cum hac imbecillitate humana, et labe, sibi innata, colluctantur, nihiloque tamen secius hunc retinent thesaurum, quoad uiuunt. Imo uero Hierosolymorum coelestium urbs repraesentatur nobis *πόλις ἔχουσα τὰς θεμελίους* (q), ἔχουσα *πυλῶνας δώδεκα* (r). Sed ecquando haec fundamenta, hae portae, cessabunt? Nonne firmitatem sempiternae felicitatis designant, ab urbe illa nunquam separandam? Ut alia oracula omittam. Duo autem ad minimum, nisi plura, fuisse thuribula aurea, ipse quidem fidem facit Iosephus (s) de hoc Moysi tabernaculo differens, eidemque *θύσικος καὶ κρητῆρας ἐκ χρυσοῦ* assignans. Iam cum thuribulum non modo *θύσικος* prisca appellatur scriptoribus, quod docuit Braunius (t), et ipsa uocis origo demonstrat, sed etiam crateris seu poculi distinctam gerat imaginem, eoque modo uel ipsis in numis Hebraeorum proponatur (u), acerae autem, ad quotidianum usum comparatae, aeneae essent ac minoris pretii, aureumque thuribulum uno tantum expiationis die adhiberi solet (x), sane ex his, nisi fallor, haud dubie potest colligi, plura haec thuribula aurea, non ad uulgarem quotidianumque cultum, sed ad sacra sola, die expiationis oblata, spectasse. Quin etiam templo, a Salomone excitato, *θυμιατήρια ὀλόχρυσου* tribuit idem rerum Iudaicarum enarrator (y), ad eundem sane usum accommodata. Denique,

cum

(n) p. XII

(o) *Luc.* XX. 24(p) *II Cor.* IV. 7(q) *Ebr.* XI. 10(r) *Apoc.* XXI. 12(s) *Ioseph.* A. III. 6. p. III(t) *Braunius* Sel. S. p. 221(u) *Braun.* l. c. p. 216 seq.(x) *Maimonides* ap. Carpzou. ad*Hebr.* p. 393(y) *Ioseph.* B. I. I. 8



cum Ioannes, futura coetus Christiani fata animo cernens, non modo arcam foederis (z), sed thuribulum etiam aureum, λιβανωτὸν χρυσεῖν (a), imo, purium numero, Φιάλας χρυσαῖς γεμάσας θυριαμάτων (b), conspicietur in coelo, huius autem imaginem pulcherrimam, ipso Paulo comprobare (c), recessus ille sanctissimus praeberet, quidni inde satis manifesto efficiatur, uel in his ipsis penetralibus thuribulum aureum exitisse. Recte igitur Lud. de Dieu (d), *singulare*, inquit, *illud fuisse thuribulum aureum, in sancto sanctorum asseruatum, docet hoc loco Apostolus*

Nos quidem, his missis, suffimentorum recordamur, quae Christus patri suo in hac terra quondam, Sacerdos Maximus se ipsum immolans, obtulit, et adhuc, ad dextram Dei constitutus, offert, precationum nempe sanctissimarum, quibus ueram nobis, omnibusque numeris absolutam, felicitatem procurat. Huic igitur, sub exordium anni huius, res spesque nostras commendamus, huic supplicamus demisse, ut Concionem sacram, PATRES PATRIAE CELSISSIMOS, CVRATORES SVMME VENERABILES, Ratheneum Illustrae, totamque urbem et regionem suo tueatur praesidio, et omnibus, quibus beata censetur conditio hominum, beneficiis exornet. Facient nobiscum haec uota iuuenes quidam diligentes et probi, habendis simul orationibus, quibus, religio Christiana gentili quantum praestet euidentia, declarabunt, distributis ita dicendi partibus, ut

CAROLVS ERDMANN LVDOVICVS REINHARD,

*Braunsdorf. Varisc.*

generatim principatum religionis nostrae prae ista indicet,

CHRI

(z) *Apocal. XI. 19*

(a) *Apocal. VIII. 3*

(b) *Apocal. V. 8*

(c) *Hebr. IX. 23. 24*

(d) *Lud. de Dieu Animadu. in*  
N. T. p. 313



XVI

X 337 6844

QX71:  
755

CHRISTIANVS AVGVSTVS BEHR,

*Geranus,*

obscuritatem religionis profanae proponat,

IOANNES GODOFREDVS FRITSCHÉ,

*Geranus,*

Evidentiam religionis Christianae demonstret, et

SAMVEL IAEGER, *Niederndorf. Varist.*

quibus nos haec claritas obstringat officiis, explanet

Quod quidem eo maiori suscipient fiducia, quo certius PATRONORVM,  
FACTORVM, AMICORVMQVE in audiendo gratiam, benevolentiam,  
et humanitatem, aliis iam temporibus rogatu nostro copiosissime probatam,  
sibi promittunt. P. P. Gerae Cal. Ian. A. R. S. M DCC LXVIII

G E R A E

LITERIS IO. HENRICI ROTHII, CELSISS. AVLAE  
CHALCOGRAPHI

CAROLVS ERDMANN IVNDQVVS REINHARD


ML





Q.K. 41.28

Π i  
755



B.I.G.

Farbkarte #13

DE  
RIBVLO  
VREO

STRANDVM LOCVM

*Hebr. IX. 4*

EXPONIT

ET

A T I O N E S

S V B

AVSPICIUM

HABENDAS

AVANTISSIME INDICIT

AVGVSTVS ZEIBICH

THEN. PROFESS. PVBL



XXIV. 9.

